BIACCI


SERMONES.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

48. – 51
(LN bis 407)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

11

Ad Generoſiſsimum ac Illuſtriſsimum Principem FREDERICVM, CHRISTIANI ſereniſsimi DANIAE Regis filium, Sermonum liber vnus, ex Iſocratis oratione de Regno, carmine Heroico.

Autore Ioanne Blacco Dano.



PARISIIS.

Ex officina Reginaldi Calderij, & Claudij eius filij.

1550.

) ὀυκ ἀρετᾶ κακ᾽ ἔργα

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

IOANNES BLACCVS.

Olim ficta quidem Regum ſimulacra fuere,
Ipſos officij quæ monuere ſui.
Viua ſed hîc ſpiránſque tibi profertur imago,
Quam, regnis ſumma eſt, poſſe referre, ſalus.
Dotibus elucent Regalia pectora veris,
Omnis & à toto corpore næuus abeſt.
Atque vt quæque ſua ſpectentur parte, locóque,
In numeros cernes cuncta redacta ſuos.
Hæc igitur vigili colluſtra lumine membra:
Quod tibi proponas, quódque ſequaris, habes.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Generoſiſsimo ac illuſtriſsimo PRINCIPI FREDERICO, CHRISTIANI ſereniſsimi DANIAE Regis filio, Ioannes Blaccus, S. D.

EX omnibus qui operam aliquam ad communem vitam iuuandam colendámque contulere, Princeps illuſtriſſime, nulli maius operæ pretium attuliſſe videntur, quàm ij qui in Principibus rectè inſtituendis ſe totos occupauere. Etenim ſi plus profuiſſe cenſeantur qui pluribus profuerũt, hanc illi ſibi laudem ſuo propè iure vendicant, qui Principẽ inſtituunt: quippe qui non iam vni Principi, ſed toti Reipublicæ, totíque adeò regno ſuam operam dicauerunt. Nam dubium id quidem non eſt, eiuſmodi fore regni ſtatum, cuiuſmodi rationibus ipſorum animi ſint præparati, qui regnum adminiſtrabunt. Atqui vt rectè animis ſint conſtituti, qui rectè ipſi regna conſtituent, plurimum rationis habet inſtitutio, præſertim iam tum adhibita, cum ætas ad virtutis ſtudium & ſapientiæ cultum fingi formaríque poſſit. Vnde nõ abs re Plato ille ſapientiſſimus, ita demum rectè cũ regnis agi putabat, ſi Rex aut ipſe philoſophus, aut ipſi cum philoſophis res eſſet. Exemplis ſuperſedeo, quòd illorum plena ſunt omnia: & aliena mea facere, non eſt meum. Fateor magnam Naturæ vim eſſe, ſed tamen eam, quæ plurimum vt aut excitetur, aut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

excitata, moderetur, ab inſtitutione adiuuatur. Iſo-
crates igitur non parũ ſuã operam communi homi
nũ vitæ probaſſe cenſendus eſt, qui tãta grauitate &
diligentia, Principis officium deſcripſerit, támque
ſalutaribus præceptis vndique communierit. Tra-
ctat enim præ cęteris egregiè ea in quibus præcipuũ
regni adminiſtrandi momentum conſiſtit, omiſſis
iis quæ eò non pertinent. Neque verò in Principe
requiruntur omnia. Ageſilaus ſapiẽtiſſimus ille La
cedæmoniorum Rex, ſuos filios quamlibet artem
doceri noluit, ſed duntaxat illam longè pulcherri-
mam, nimirum imperare, et imperio parêre: quod
vtrũque iuxtà in Principe requiritur. Atque ſi quis
ea quæ per totam hãc orationem ſparſa ſunt, in prę-
cepta collegerit, næ ille tum demum intellexerit, ec-
quod hinc veri Principis ſimulacrum effingi educí-
que poſſit. Nihil hîc inuenies frangendæ ſoluendǽ-
que Principum vitæ comparatum: nihil auribus in-
eptè & adulatoriè permulcendis datum: nihil deni-
que animis falſis opinionibus imbuendis ac inuol-
uendis ſophiſticè excogitatũ: ſed omnia quæ ipſos
ad virtutem componunt atque confirmant: omnia
quæ germanam auſteritatem ſapiunt, veram philo-
ſophiam redolent, poſtremò plana, expedita, & in
prõptu poſita omnia. Quanquã enim Gorgias, Ly-
ſias, Prodicus aliíque complures ſophiſtæ illo ſęculo
ſua in Attica ἐπαγγέλματα magna voce manúque to-
ta ſonabant, et (quod ſordidum etiam erat) quæſtui
habebant, Iſocrates tamen vſque adeò ineptis ipſorũ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

profeſſionibus non acceſſit, vt etiam otioſam eiuſmodi oſtentationẽ vbique inceſſerit: ipſóſque, vt qui τὴν περιεργίαν καὶ τὴν τερθρείαν ἐν τοῖς λόγοις perſecuti ſint, grauiter ſit inſectatus. Nam, vt alia mittam, quid acrius in ipſos ipſorúmque ſimiles dici poſſet? ἄλλοι δὲ περὶ τὰς ἔριδας διατρίβουσι, τὰς οὐδὲν μὲν ὠφελούσας, πράγματα δὲ παρέχειν τοῖς πλησιάζουσι δυναμένας. οὓς ἐχρῆν ἀφεμένους ταύτης τῆς τερθρείας, τοῦ ἐν μὲν τοῖς λόγοις ἐξελέγχειν προσποιουμένοις, ἐν δὲ τοῖς ἔργοις πολὺν ἤδη χρόνον ἐξεληλεγμένοις: τὴν ἀλήθειαν διώκειν, καὶ περὶ τὰς πράξεις ἐν αἷς πολιτευόμεθα, τοὺς συνόντας παιδεύειν, καὶ περὶ τὴν ἐμπειρίαν τὴν τούτων γυμνάζειν, ἐνθυμουμένους ὅτι πολὺ κρεῖττόν ἐστι περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν, ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι. Iam verò dictio Iſocratica tum demum qualis fuerit intelligas, ſi ipſam cum illorum dictione compoſueris, qui in Attica primas in dicendo tulerunt. Res ſemper tractauit grauiſſimas, & ex ipſis philoſophiæ, maximè verò moralis, fontibus depromptas. Porrò carmine hanc orationem vertere placuit, tum quòd id nemo ante me tẽtaſſet, tum quòd res ſuapte ipſæ natura grauiſſimæ, hac orationis facie ſi prodiiſſent, futuræ eſſent & gratiſſimæ. Quanquam ecquæ tandem gratia à me accedere poſſet, qui dum alienis rebus inſeruio, carminis ſuauitati renuntio, & mea me in ſcribendo libertate ſpolio? Quin res philoſophicas tractans, ad philoſophicum dicendi genus deſcendo, vnde & Sermonum titulo librum inſcripſi. Quòd ſi ea qua me rebus aſtrinxi religione ſoluere voluiſſem, fortaſſe liberiora ſplendidioráque fuiſſent omnia. In noſtro campo liberius currimus, & audacius euagamur: & in noſtro argumẽto latius nos effundimus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

& licentius explicamus: aliena non niſi religioſè & timidè attrectamus. Taceo iam quale ſit, ſoluta ora= tione ſcripta, in carminis legem cogere, & verſibus illigare. Et tamen conatus ſum, non ſolùm mentem autoris, verùm etiam ſingularum vocum, præſertim illuſtrium, qua potui fide & diligentia, vim expri= mere: non quidem ſecundum Flaccum, ieiuni inter= pretis more, verba verbis reddita lectori adnumerãs, ſed ſecundum Ciceronem, appendens. Tibi autem, generoſiſſime Princeps, hoc quicquid eſt opuſculi, dedicare viſum fuit: primùm, quòd audio te maxi= mis iam regnis accreſcentem, omnia quibus ad ma= ximarum rerum laudẽ & virtutis faſtigium euadas, præſidia vndique prenſare: non ſecus ac generoſiſſima vitis recèns enata, iámque adeò ſe ſurrigens ac ſpargens, proxima quæque apprehenſa amplexatur, quibus ceu adminiculis nitens ac ſerpens, ſe in altũ attollat atque diffundat. Deinde cum æquum ſit, ad ſuã quemque patriam colendam & ornandam con ferre quicquid ingenio, ſtudio, diligentia, aut vllis aliis dotibus valeat: ego (tametſi ſentio quàm o= mnia in me ſint exigua) committendum mihi non putabam, vt meum in patriã officiũ claudi ſinerem, præſertim cum id ab omnibus qui in his ſtudiis ver= ſamur, ceu debitum ſibi perſolui poſtulet. Idque cã dido & ſyncero animo mihi propoſui, non ſcripti= tandi libidine, aut vlla denique corruptela adductus.

οὐ γὰρ ὅσα ἔγραψα πώποτε, ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα ἢ ἄλλό τι ἀποβλέ- πων, ἔγραψα, οὐδὲ μετὰ ταῦτα γραψόμενος ἀποβλέψομαι: ἀλλ' ἀπ' ὀρθῆς καὶ δικαίας καὶ ἀδιαφθόρου τῆς ψυχῆς, καὶ πάντα ὑγιῶς καὶ δι- καίως:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

καίως· ὅγε πάντες, ἐὰν ἄνευ φθόνου καὶ βασκανίας βούλωνται σκοπεῖν ὀρθῶς, εὑρήσουσι. Adde quòd, cum iam ſextus agatur annus, ex quo ad exteras nationes ſtudiorum cauſa conceſſi: turpe mihi quodammodo eſſe duxi, vacuum omnino in patriam redire, iuxta illud Homeri, αἰσχρὸν γὰρ δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Fateor videri poſſe hoc ſcriptum nimis exiguum, ac propè indignum quod tali Principi offerretur: verũ ſi quis ſuo ipſum pondere & vtilitate metiri velit, intelliget haud dubiè opinione maius eſſe, denique tale, quod Iſocrates vir ſapientiſſimus & ætate iam prouectus, ampliſſimo Regi rectè offerendum cenſuerit. Atque vtinã hæc præcepta tanto ſtudio quanto ab hoc autore perſcripta ſunt, amplecterentur omnes qui ad regna & Reſpublicas accedunt. haud dubiè rectius haberent res humanæ, quæ dum talia pro neglecto habẽtur, tot tantiſque hac noſtra, quantis vix vlla hominum memoria, calamitatibus ſunt conflictatæ. Precor igitur illuſtriſſime Princeps, vt ſcriptum hoc beneuolo animo accipere, boniſque cõſulere digneris. Quod ſi (vti ſpero) feceris: tum & quàm literarum ac ingeniorum, quorum perinde atque aliarum rerum Dania noſtra feraciſſima eſt, eximius ſis fautor, re ipſa declaraueris: & omnibus ad bene de tua indole ſperandum ceu ſignum quoddam extuleris: poſtremò hæc præcepta mente ſedulò reuoluens, ac doctiſsimi ſimul et integerrimi viri Ioannis Suaningij, quo, totius patriæ bono, præceptore vteris, monita ſequens, eum præſtiteris Principem, qui ſapientia

ceteriſque

cæteríſque rebus omnibus, quibus peculiares ac proſ priæ Principum laudes cenſentur, reliquis mortalibus antecellés, patriam malis omnibus exemptam, bonis quàmplurimis cumulatam reddas. Bene vale Princeps illuſtriſſime. AEtatem tuam florentiſſimam florentiſſimo regno ad Reipub. ſalutem & ſui nominis gloriam conſeruet ac regat propitius Ieſus. Pariſiis. menſe Octobri, Anno. 1550.

Præcepta de officio Principis ex hac oratione in compendium contracta.

1 Regna malis eximito: eadem bonis cumulata cõſeruatáque augeto.

2 Quorum conſilia ſequaris, ſapientiſſimi ſimul & vigilantiſſimi ſunto.

3 Vt quos honoribus ſuperas, etiam virtute anteeas: animum maximarum rerum commẽtatione exerceto, verſato, acuito.

4 Deteriores pręſtantioribus imperare, graue & indignum exiſtimato.

5 Reipub. ex animo amans, ſingulari in omnes humanitate vtitor.

6 Multitudinis curã gerito: tuúmq; ipſe regnũ charus gratúſq; omnibus probato.

7 Leges cum recto & honeſto pugnantes moueto, & quàm potes optimis mutato.

8 Opificia Reipub. vtilia conſtituito.

9 Iudicia ne ad gratiam comparato, ſed eadem de iiſdem ſemper pronuntiato.

Regnum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

10 Regnum, eodem affectu quo paternã domũ, adminiſtrato.

11 Magnificentiam & ſplendorem regium, nõ inutilibus ſumptibus, ſed in bene meritos liberalitate declarato.

12 Quæ ad Deorum cultum pertinẽt, in iis maiorum inſtituta ſequitor.

13 Familiariſſimis primos, amiciſſimis autem veriſſimos honores decernito.

14 Amicorum virtutẽ, ciuium in te beneuolentiam, & tuam ipſius prudentiam, tutiſſimam corporis cuſtodiam cenſeto.

15 Priuatæ etiam domus tibi curæ ſunto.

16 Veri & fidei tenaciſſimus eſto.

17 Peregrinos omneis ciuitate legibus bene cõſtituta recipito.

18 Metum tui ciuibus adimito.

19 Iratus nihil quicquam facito.

20 Virtutẽ bellicã rei militaris ſcientia & apparatu oſtendito, pacem aliena non vſurpando colito.

21 Non plura complecti quàm tueri poſſis, magnanimitatis eſſe ducito.

22 Felicitatem non maximo regno, ſed optima regni adminiſtratione metitor.

23 Ne quoſlibet in amicitiam adlegendos putato.

24 Quibus regni negotia mandes, integri ſunto.

25 Non qui omnia dicta & facta tua laudant, ſed qui peccantem increpant, fidos eſſe ducito.

26 Prudetibus liberã de regni negotiis dicẽdi poteſtatẽ facito.

27 Adulatorem ab amico qui te ſyncerè colit, ſecernito.

28 Ne minus tibi quàm aliis imperato.

29 Ne temerè quibuſlibet congreſſibus vtitor.

30 Ob ſolam virtutem tibi placeto.

31 Veros eſſe honores, liberè ſpontéque delatos, ſtatuito.

32 Indigna Rege celato, digna proferto.

33 Omnibus continentiæ exemplum eſto.

34 Subditorum maiori cum temperantia maioresquoque per te creuiſſe opes, regni rectè adminiſtrati argumentum habeto.

35 Diuitias famæ poſtponito.

36 Veſtitui & regalibus ornamentis indulgens, cętera continens eſto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

37 Quid dicas, quídve facias, animum aduertito.

38 Punctum rerũ contingere, & mediocritatẽ ſeruare ſatagito.

39 Vitæ grauitatem, morum vrbanitate temperato.

40 Quid Regem ſcire conueniat, philoſophiæ cognitione & rerum vſu diſcito.

41 Factis & vitæ ſtudiis quibus nominis celebritas comparatur, Reges à priuatis vinci, indignum eſſe putato.

42 Virtutis potius quàm corporis tui imaginem poſt fata cõdi curato.

43 Regna metu liberato, ínque periculis adeũdis mortem turpitudini anteponito.

44 Quicquid tandem feceris, dignitatis Regiæ memor eſto.

45 Corporis mortalitatẽ immortalibus animi monumentis compenſato.

46 Vt mens eadem cum dictis ſentiat, ſemper de rebus honeſtis verba facito.

47 Quorũ gloriam magnificas, horum facta imitator.

48 Quæ liberis conſulta velles, eadẽ ipſe opere exequitor.

49 In paruis oſtentatores, ſpéſque adeò magnas fruſtra iactantes, in ſtultitiam damnato: in maximis diſertos, mediocria verò de ſe prædicantes, & vtraque fortuna æqua mente vtentes, ſapientes iudicato.

IOANNES BLACCVS.

Olim ficta quidem Regum ſimulacra fuere,
Ipſos officij quæ monuere ſui.
Viua ſed hîc ſpiránſque tibi profertur imago,
Quam, regnis ſumma eſt, poſſe referre, ſalus.
Dotibus elucent Regalia pectora veris,
Omnis & à toto corpore næuus abeſt.
Atque vt quæque ſua ſpectentur parte, locóque,
In numeros cernes cuncta redacta ſuos.
Hæc igitur vigili colluſtra lumine membra:
Quod tibi proponas, quódque ſequaris, habes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Ad Generoſiſsimum ac illuſtriſsimum Danorum Principem FREDERICVM, CHRISTIANI sereniſsimi DANIAE Regis filium, Sermonum liber vnus, ex Iſocratis oratione de regno, carmine Heroico.

Dona ſolent alij vobis quàm maxima ferre
Regibus, imbutas fulgenti murice veſtes,
AEráq; multiplices Ephyreia ducta per artes,
Auri præterea facti pretioſa talenta:
Denique res tales, ipſis penuria quarum
Maior adeſt, pleno vos ditat copia cornu.
Sed dum ſic Reges captant, ſic munere mulcent,
Indicium faciunt manifeſtum, munera vera
Non dare, ſed merces planè exercere lucroſas.
Quin hæc maiori diuendunt arte, dolóque,
Quàm qui cauponum quæſtum ſordéſque profeſsi,
Munera corrumpunt per ſe puriſſima Bacchi,
Rebus & augendis vitiatis mercibus inſtant.
Aſt ego non video quod pulchrius vtiliúſve
Exhibeam munus, quod poſsit vtrumque decere,
Tum me qui donem, tum te qui dona capeſſas,
Quàm tibi ſi poſsim certos præſcribere fines,
Queis ſeptus, iuxtà fugienda ſequendáque cernens,
Vrbes & regnum quàm feliciſsima habere,
Cunctáque tranquillis poſsis componere rebus.

Priuatos nam multa docent miteſcere cultu:
In primis quòd deliciis non affluit vſus,
Quòd non quæſito franguntur corpora luxu,
Sed duris vitam coguntur ducere fatis,
Vt queis quæque dies proprio cumulata labore
Aduenit, inque nouum certamen cogit egentes.
Dein leges quarum præſcripto quiſque tenetur,
Et quarum iuſſu conſiſtit ciuica vita.
Accedit nullo libertas preſſa timore,
Qua licet vt coràm caſtiget amicus amicum,
Si quid peccatum eſt: inimico pectore qui ſunt,
Inter ſe duris intendant crimina verbis.
Iam, quidam veteres præcepta dedere poetæ,
In quibus eſt rectè viuendi prodita forma.
Hæc inquam mores priuatos cuncta coercent,
Vnde ipſos fieri meliores nemo negarit.
At nihil eſt horum quod Reges corrigat, immo
Poſtquam ſunt rerum ſumma regníſque potiti,
Plúſque aliis monitoris egent: monitore carentes,
Iámque recuſantes rectoris frena manúſque,
Totius in reliquum tranſmittunt tempora vitæ.
Nam paucis datur ad magnos accedere Reges:
Qui verò vnà adſunt, quæ norunt grata, loquuntur,
Et ſeſe ad Regis nutum componere tentant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Quocirca, magnis opibus rebúſque potentes,
His quia non poſſunt rectè rationibus vti,
Nec præſenti animo præſentia commoda ferre;
Multos incertos animi fecere, probanda
Vita ſit vtra magis: priuatáne? quippe tumultu
Quæ caret, & placida diſpenſat cuncta quiete:
An Regum, tanta quæ rerum mole laborat,
Et ſua quæ tantis permiſcet commoda curis.
Nam quoties ſpectant quo ſuſpiciuntur honore,
Quàm florent opibus, quàm magna potentia ſolis:
Diis ſimiles, omnes affirmant, eſſe Monarchas.
Aſt vbi matura reputarint mente, timores
Imperium quantos ſecum fert, quanta pericla:
Quin exempla etiam repetentes plurima, Reges
Cognorint alios crudeli morte peremptos
A quibus haud decuit: rurſus peccare & in illos
Quos iam coniunxit vita atque domeſticus vſus,
Compulſos alios: alios ad vtrumque redactos:
Tum contrà, quauis vitam ratione tueri,
Fortunam quamcumque ſequi, ſatius ſibi ducunt,
Quàm per tot caſus per tot diſcrimina vitæ
Vel latos Aſiæ fines & regna tenere.
Porrò hæc cur æqua non vlla parte geruntur,
Cur rerum tanto turbantur regna tumultu,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Cauſa eſt: vt cuiuis ſacri donantur honores,
Qui præmonſtratum morem ritúmque ſequuntur,
Sic etiam regnum cuiuſlibet eſſe putatur.
Cùm tamen humanas res inter maxima res ſit,
Summarum rerum prudentia pectora poſcens.
Quapropter regnum qua quis ratione modóque
Omnes per partes per ſingula quæque gubernet,
Commoda quo ſeruet, prudénſque incommoda vitet,
Illorum eſt, omni qui tempore Regibus adſunt,
Conſulere in medium, & ſapienter cuncta monere.
Aſt ego conabor ſtudiorum exponere ſummam,
Quæ ceu meta ſcopúſque tibi ſpectanda, quibúſque
Sedulus inſiſtens, toto exerceberis æuo.
Porrò autem munus confectum, materiæne
Par ſit propoſitæ, aut æquarit pondera rerum
Tantarum, haud facile eſt iam nunc cognoſcere poſſe.
Nam non pauca quidem videas, tum carmine ſcripta,
Tum quæ liberiore ſtyli ratione vagantur,
Quæ dum ſcriptores verſabant pectore preſſa,
Suſpenſas tenuit multa expectatio mentes:
Verùm iam tandem perfecta, virúmque per ora
Prodita, ſpe longè ſunt inferiora reperta.
Quanquam laude ſua conatus non caret ille,
Quærere prætermiſſa aliis, rectéque gerendo

Imperio ſummo certas præſcribere leges.
Nam qui priuatos cultu formarit & arte,
Prodeſt ille quidem,ſed ſolis ſcilicet illis.
Verùm qui latè Reges,populóſque potentes
Qui ditione tenent,virtutem hortatus ad ipſam
Duxerit impulſos,ambobus conſulit æquè,et
His qui regna tenent,& qui ſub regna redacti
Imperio parent:nanque illis efficit omni
Tuta magis conſtent procul vt formidine regna,
His magis imperium manſuetum & mite probetur.
Ergo vt quo rectè conſiſtant Principe regna
Exponam breuibus,repeténſque ab origine prima,
Altius expendam quæ Regem reddat imago,
Quo circumſcribat verus ſe limite Princeps:
Ipſius officium primùm ſpectemus oportet,
Quod propriũ fuerit,quod opus,quæ facta,quibus ſe
Metiri deceat.nam ſi quæ ſumma negoti,
Quod pondus fuerit, rectè comprenderis:idem
Huc dein reſpectans,per ſingula rectius ire,
Partéque de quauis ex ordine dicere poſſis.
1 Omnes faſſuros mortales arbitror,eſſe
Principis hoc proprium munus,prǽque omnibus vnum,
Vt malè habentia regna leuet,bene habentia ſeruet:
Vrbibus afflictis finem requiémque malorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Afferat:incolumes quæ ſtant,rebúſque ſecundis
Florent,contineat,tueatur;denique magnas
Ex paruis omni contendat reddere cura.
Nam quæ quæque dies diuerſa negotia verſat,
Huc referet,cauſáque horum peragenda putabit.
2 Quin etiam hoc conſtat,valeant qui talia,quorum
Sanis conſiliis regni ſtet ſumma,ſalúſque,
Non hos ſegnities,non otia mollia frangent.
Quin ſummis animi ſtudiis huc denique tendent,
Vt plus ipſi aliis ſapiant,melioráque mente
Conſilia inſtituant,& in omnia recta ferantur.
Nam ſic deprenſum eſt,faciémque ſtatúmque habituros
Talem regnorum,quali ratione pararint
Ipſi animos,quibus eſt rerum commiſſa poteſtas.
3 Non ergo Athletis tam per certamina corpus
Conuenit exercere ſuum,quàm pectora Reges.
Nam certamini honos,propoſtáque præmia cunctis,
Nulla parte queunt iſtis contendere rebus,
De quibus aſſiduè vobis certamina ſurgunt.
Quæ tecum dum tu reputas:aduertito mentem,
Vt quantum ſuperes opibus regnóque potenti,
Tantundem ſuperare alios virtute labores.
Nec mens ſic ſtatuat,ſtudium curámque valere
In reliquis quæ vita gerit:prudentior vt ſis,

Et

Et melior, nullas vires aut pondus habere.
Nec tam mortales ſortis damnabis iniquæ,
Aut infelici cenſebis ſydere natos,
Vt, cùm ſint vires quibus ipſi inuenimus artes,
Queis fera manſueſcat, domitum & melioribus aptum
Induat ingenium, ſylueſtrémque exuat vſum,
Nullum operæ in nobis pretium, nil præſidij eſſe
Virtuti, ſtatuas, vel noſtro Marte parandæ:
Aut hanc naturam domitam, non ponere quicquid
Aſperitatis habet, melioráque ſumere cultu.
Sed contrà, tibi ſic animo ſententia conſtet,
Exactam morum curam, vitæque regundæ
Leges, formandæ multum conducere menti.
Atque ex his tecum qui ſunt, prudentibus hære
Ante alios, quóſque ipſe queas accerſe rogatos.
Non vllos quos egregios fert fama poetas,
Non vllos celebres arte ingenióque ſophiſtas
Eſſe puta, deceat quorum ignarum eſſe rudémque:
Verùm illis paſcas auditor ſedulus aures,
His animum, ceu diſcipulus rem quamque requirens.
Denique ſic teipſum componito, vt inferiorum
Sis iudex: qui te ſuperent, his æmulus omni
Contendas ſtudio, primas retinere laborans.
Nanque iſtis ſtudiis exercitiiſque, quid obſtat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Quo minus euadas,minimóque id tempore,talis,
Qualem propoſita forma decreuimus illum
Qui rectè geret imperium,quo regna tenente,
Ordine conſtabit tutis Reſpublica rebus?
4 Hoc verò egregium virtutis ducito calcar
In primis,quo te ſubigens hortaberis ipſe:
Nimirum extremum ſi dedecus eſſe putaris,
Vt qui deterior fuerit,melioribus idem
Imperitet,præeat prudenti ſtultior.illo
Fiet enim,vt quanto vehementius ipſe aliorum
Stultitiam temnas,tanto tua pectora,contrà,
Culta bonis magis exornet ſapientia veris.
Hinc ergo incipiant,hinc ducant rebus oportet
Auſpicium,quicquam facturi quod petat aut res,
Aut quod ſit veræ cenſendum nomine laudis.
5 Iam,Rex humanum ſeſe offeret omnibus,omnes
Ex animo amplectens,vrbes ciuéſque fouendo
Seruabit,quicquam nec habebit charius illis.
Nam nec equis rectè,canibúſve,viríſve,vel vllis
Imperitare queas rebus,niſi captus amore
Illarum tenearis,& oblecteris in illis
Credita quæ fuerint ſtudio ſeruanda fideli.
6 Fac tibi commiſſæ plebis ſint commoda curæ,
Id ſolum meditans,ſolum ſuper omnia ſpectans,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Vt charus gratúſque tuis data regna gubernes:
Certus, paucorum ſeu ſit Reſpublica, ſeu ſint
Formæ aliæ, conſtare illas firmáſque manere
In longum, obſcuri quæ curant commoda vulgi.
Rectè autem plebem tibi deuincire licebit,
Si caueas ne vis, ne cuiquam iniuria fiat,
Iniuſtè læſos ſi non patiaris inultos:
Verùm perſpicias, vt quiſque eſt optimus, útque
Maximus excellit virtute, ita præmia laudis
Prima ferat, primíque illum comitentur honores:
Aſt alios non vlla premens iniuria lædat.
Hæc etenim regni ſunt prima elementa gerendi,
Maximáque, vnde queat conſiſtere, & vtile haberi.
7 Quæ regni leges, qui mos pugnarit honeſto,
Aut æquum præter quæ ſunt rectúmve recepta,
Mutare atque mouere licet: ſed totus in hoc ſis,
Inuenias quæ ſint ex vſu atque optima regno.
Quod ſi non poſſis, imitare aliena, tuúmque
In regnum transfer, quæ rectè condita ſerues.
In ſumma, tales præſtabit quærere leges,
Quæ iuſtæ, quæ conducunt, & quæ ſibi conſtant:
Tum quæ quàm minimo pariunt certamine lites,
Quæ regnum cæco turbent agiténtque tumultu:
Sed leges quæ ius diſpenſent ciuibus æquum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Et citò componant lites, & iurgia ſoluant.
Hæc ſiquidem leges adportent commoda oportet,
Quæ rectè latæ ſeruabunt condita regna.
8 Artificum cura vtilium ſint munera lucro,
Turbantíſque fori clamoſa negotia damno:
Hæc vt defugitent, & promptius illa ſequantur.
9 De quibus exiſtunt dubio certamine lites,
Iudicium facito, ſic, ne ſibi gratia quicquam
Vendicet, aut ſecum quæ ſint pugnantia dicas:
Iudicium ſed idem, de re ſit ſemper eadem.
Nanque decet, prodéſtque ſimul, regnúmque tuetur,
Immotis Reges de iuſto mentibus eſſe,
Vt leges rectè poſitæ, diſcordia nunquam
Admittunt, nunquam variant mutántve tenorem.
10 Non ſecus atque domum, regnum moderare, paternam,
Subiectáſque vrbes: ſpecie cultúque decoro
Splendidus, & Regem referens: at rebus agendis
Exactè inuigilans, & ſingula mente reuoluens:
Vt ſimul & laudem parias noménque celebre,
Fortunis opibúſque ſimul conſiſtere poſſis.
11 Sic regni ſplendor, ſic magnificentia Regis
Oſtentanda tibi eſt, vt ſumptus inutilis abſit,
Qui regnum exhaurit, qui paruo tempore durans
Diſperit actutum: quin quæ prædiximus, his te

Magni-

Magnificum cenſe:tum ſi poſſeſsio pulchro
Eniteat cultu,benefactis ſi tibi amicos
Pluribus accumules:nanque hæc inſumpta manebunt
Firma tibi:ſimul & quæ poſtera ſentiat ætas,
Inſumptis quæ ſunt longè maiora,relinques.
12 Diuini qui ſint cultus,quæ ſacra colenda,
Conſule maiores:& ab his quæ prodita cernis,
Et monſtrata tibi,fac ſerues atque ſequaris.
Illa autem eſſe puta longè pulcherrima ſacra,
Et cultum ante alios magnum,ſuperíſque placentem,
Si te non melior fuerit,nec iuſtior alter.
Nam qui ſic viuunt,faciles magis atque benignos
His fore ſperandum eſt ſuperos in vota precéſque,
Quàm quibus hoſtia multa ſacras mactatur ad aras.
13 Ante alios iunctos,quos ipſa domeſtica vita
Reddidit,his primi fac decernantur honores:
At quos ex animo tibi ſentis optima velle,
Si quibus,his certè,veri tribuantur honores.
14 Tuta magis non vlla tuum cuſtodia corpus
Protegit,ac præſens virtus conſtantis amici,
Tum ciues veri qui te amplectuntur amore,
Dein tibi qua caueas propriæ prudentia mentis:
Nanque his regna parare queas,& parta tueri.
15 Priuatas tua cura domos ratióque ſubibit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Nam quæ quis perdit ſumptu profuſus inani,
Hæc regnis rebúſque tuis periiſſe putato:
At qui rem faciunt, vitámque labore tuentur,
Hos & res augere tuas, & regna beare.
Omnia nam quæcunque tenent qui ſedibus vrbes
Exſtructis habitant, legéſque & iura ſequuntur,
Sunt propriè illorum qui rectè regna gubernant.
16 Sic ratio veri toto ſit tempore vitæ
Culta, vt plus fidei faciant quæ dixeris ipſe,
Quàm quæ iure alij iurando firma probarint.
17 Tuta peregrinis præbeto mœnia cunctis,
Vrbe receptatis, quæ legum relligione
Condita, non violet contractus, iura, fidémque.
Atque ex his qui ſic veniunt vrbéſque frequentant,
Plurimi eos facito, non qui tibi dona ſuperba
Adducunt, ſed qui cupiunt auferre quod ipſe
Dones: nam tales dum tu veneraris honorans,
Latius extendas merita tua nomina laude.
18 Si quis fortè tui fuerit metus, exime totum
Ciuibus ex animo: nec formidabilis illis
Plus ſatis eſſe velis, qui nulla iniuſta patrarint.
Nam quales alij mentes, effeceris, in te
Vt geſtent, tales & tu geſtabis in illos,
Et firmos vinctóſque pari retinebis amore.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

19 Nil quicquam facies ſtimulanti percitus ira:
Iratus videare tamen, cum tempora ſuadent.
Sæuus in hoc rigidúſque appare, ne quid eorum
Ignarum lateant quæ per tua regna geruntur:
Contrà, ſic mitis, faciles culpáque minores
Vt pœnas ſtatuas, & clemens multa remittas.
Imperio dignum non te truculentia reddet:
Non, quòd ſis durus pœnarum exactor in omnes:
Sed quòd plus aliis ſapias, quòd mente ſagaci
Exuperes, adeò, vt ſtatuant te rectius ipſis
Conſulere in medium de ipſorum poſſe ſalute.
20 Bellator ſic fortis eris, ſic victor in armis,
Si non militiæ pugnæque ſcientior alter
Te fuerit: ſi quæ belli ſunt, cuncta parata
In promptu fuerint, qui caſus cumque vocarint:
At ſic pacificus, contentus ſorte tua ſi
Nil vltrà vſurpes quàm fas & iura probarint.
Si quæ ſint vrbes, quæ paruis viribus auctæ
Inferiora tenent, erga has commercia ſunto
Qualia maiorum tecum commercia velles.
De re non quauis cenſebis bella mouenda,
Sed de his, victori quæ commoda ferre valebunt.
Ignauos cenſe, non quos (quod ſæpe videre eſt)
Deuictos meliore ſtatu Fortuna locauit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Sed quos maiori cumulat victoria damno,
Pluráque victori quàm victo incommoda portat.
21 Ducito magnanimos, non longo limite fines
Qui regni extendunt, qui longis tractibus vrbes
Comprenſas ſubigunt, quibus aut maiora tenentur
Quàm retinere queant: ſed qui mediocria mente
Concipiunt, concepta ſuos deducere in actus,
Et quod tentarint, effectum reddere poſsint.
Felices imitare illos, non maxima regna
Qui peperere ſibi: ſed qui ſtatus optimus vt ſit
Regnorum patriǽque ſuæ, fecere regendo.
22 Hanc fore perfectam vitæ cenſeto ſalutem,
Hinc verè te felicem veréque beatum,
Non ſi mortales omnes tua regna putarint
Eſſe timenda ſibi, aut metuendus cúmque periclo
Geſſeris imperium: ſed ſi quem regna requirunt,
Præſtiteris Regem: quod præſens fértque monétque
Tempus, agens, moderata petas, potiare petitis,
23 Non omnes id qui cupiunt, tibi iungito amicos:
Sed quicunque tua ſe præſtant indole dignos.
Nec queis cum ſuauem detur traducere vitam,
Sed qui præſtiterint monitis operáque fideli,
Optima conſtiterit quo te Reſpublica Rege.
Sedulus in mores illorum inquire, probéque

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Explora,queis cum ſis conſuetudine vitæ
Iunctus:nam tecum qui non verſantur,eorum,
Omnes,te ſimilem ſtatuunt quibus vteris ipſe.
24 *Rebus quas non ipſe potes diſtractus obire,*
Præficito tales,tanquam quæcunque gerantur,
Solus ſuſtineas,admiſſo crimine,cauſam.
25 *Hos tibi habe fidos,his tuto credere fas eſt,*
Non,qui quæ facias aut dicas cuncta probantes,
Laudibus excipiunt:ſed qui tua facta notantes
Errantem increpitant,& recto tramite ducunt.
26 *Libera prudenti dicendi copia detur,*
Vt quicquid fuerit de quo dubitaueris,adſint
Cum quibus id certa poſsis expendere lege,
Et quid opus facto,quid non,ratione probare.
27 *Diſcernas cura,iuſto diſcrimine facto,*
Et tibi adulantes qui ficto pectore fantur,
Et qui ſyncero te pectore amântque colúntque:
Ne potiora mali teneant,magníſque ſuperbi
Exſuperent rebus:iaceat fortuna bonorum.
Auſculta de aliis alij quæ fortè loquantur,
Et ſis totus in hoc,ſimul vt cognoſcere poſsis
Qualis qui loquitur,quis,déque quibus loquitetur.
Eſſe puta dignum,pœna afficiantur eadem
Qui falſo alterius proſcindunt crimine famam,

Et vitæ facinus qui commiſere nefandum.
28 *Non minus ac alios teipſum moderare, tuique*
Imperium gere: & in primis Regale putato,
Si non vlla tibi dominetur fœda voluptas,
Si non ſeruierit tua mens affectibus vllis:
Quin huc contendes, huc tota mente fereris,
Vt magis his poſsis quàm ciuibus imperitare.
29 *Non temere, & ſine delectu congreſsibus vllis*
Vteris: quin hæc, facito, ſit ſumma voluptas,
His tu colloquiis diſcas lætarier, vnde
Crebros virtutis progreſſus feceris ipſe,
Atque aliis vitam melior videare per omnem.
30 *Ne decus ex illis videaris quærere rebus,*
Ne mente efferri, quas & præſtare valebit
Improbus, vt ſolidè proprias non dicere poſsis.
Sed tibi ſi veram mens eſt acquirere laudem,
Sit ſtudio virtus: hinc gloria vera paretur,
Hinc animos tollas: hæc laudem comparat vna,
Cuius ſe ſocium non offerat improbus vllus,
Aut ſibi quam poſsit meritò decerpere partem.
31 *Hos demum veros ante omnes ducito honores,*
Non quos ante oculos metus extorſiſſe videtur,
Sed quos libertas defert, cum pectora ſecum
Ciuica plus animum ipſa tuum, mentémque probatam

Mirentur, quàm quæ Fortunæ contulit aura.
32 Si quæ non deceant, fuerint tibi vilia cordi,
Aut rebus quæ fortè parum videantur honeſtæ
Gaudere acciderit, curíſque reſoluere mentem,
Fac lateas, fac clàm (fuerint quæcunque) gerantur:
Contrà, omni ſtudio, quæ cenſes maxima, verſans,
In vulgus profer, patuláſque oſtende ſub auras.
33 Néue petas alios compoſtam ducere vitam,
At Reges incompoſtam moréſque ſolutam.
Quin potius teipſum, qualis moderatio vitam
Temperet, exemplum ſtatues, cunctiſque probabis.
Nam quos conſpiciunt mores in Principe ciues,
Hos imitantur, ad hos ſeſe componere tentat
Conſita quàm latè eſt populis Reſpublica tota.
34 Regna gubernari rectè ſic collige tandem,
Si cura ſtudióque tuo ſic cuncta gerantur,
Vt quibus imperio præſis, opulentia maior
Maior item mundæ creſcat moderatio vitæ.
35 Id ſtudio tibi habe mage, famam linquere honeſtam
Natis natorum, quàm magnos æris aceruos.
Nanque hi mortales, illa immortalis habetur:
Et fama nummi, non nummis fama paratur.
Adde, malis etiam quòd nummi accedere poſsint,
Fama quidem nulli, niſi qui per facta probatus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Exſuperans alios,nomen virtutibus auxit.
36 Veſtibus indulge,corpus regalibus orna
Cultibus:in reliquis quæ vitæ munia ſpectant,
Vt Regem decet,ipſe tuam moderabere mentem:
Vt te cernentes,aſpectu protinus ipſo,
Imperio dignum ſtatuant,tua regna ſequantur:
Quíque vnà tecum viuunt,ob fortia facta
Vímque animi magni,ſimili in te mente ferantur.
37 Quid dicas & quid facias,aduertito mentem,
Vt ſic quàm minimum(quæ Regum maxima laus eſt)
Offendas,minimum vitæ tibi curſus aberret.
38 Hoc verò in primis tua cura potiſsima ſpectet,
Sedulus vt poſsis rerum contingere punctum,
Vt quid quóque loco deceat,quo tempore,noſcas,
Non vltrà citráque volens defigere greſſum,
Quàm modus,& certo deſignat limite rectum.
Sed quia difficili hæc conſtant ratione viáque,
Tutius ingrediens,infrà ſubſiſtere malis,
Vltrà quàm prodire,modúmque excedere iuſtum.
Defectus etenim magis ad mediocria tendunt,
Quàm quicquid ſuperat,prætérque neceſſe redundat.
39 Vrbanus iuxtáque grauis ſis moribus Heros.
Hoc etenim Regem decet:illud ad omnia format,
Commoda vt his,queis cum verſabere,vita probetur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Ante alia hoc ſed difficile eſt ex omnibus vnum
Quæ facias: nam cui ſubit hæc meditatio vitæ,
Plærunque inuenies, qui dum grauis eſſe laborat,
Frigidus euadit, nec laudem quam petit aufert.
Rurſus cui ſtudio eſt, vrbanum poſſe videri,
Aſsidet abiecto, vilíſque humilíſque putatur.
His autem formis viuendi vtaris oportet:
Sed quicquid vitij coniunctum habet vtraque, vites.

40 Officium quod ſit, quæ partes, denique quicquid
Exacta par eſt Reges cognoſcere cura,
Partim vſu, partim ſtudio ſectere licebit.
Nam Sophiæ ſtudiis talis redderis, vt omni
In re, ſubducta ratione viáque regaris:
Aſt vſu efficies, verſari in rebus agendis
Vt dexter poſsis, & commoda quæque videre.
Quæ priuatorum, quæ Regum facta, quis inde
Euentus, prudens alta fac mente reponas.
Nam ſi præteriti fueris memor, inde futuri
Rectius & melius rationem ducere poſsis.

41 Indignum eſſe puta, moliri ſæpe labores
Atque adeò vitam vera pro laude paciſci
Priuatos voluiſſe viros: non talia Reges
Mente agitare, nec his ſtudiis verſarier, vnde
Viuentes ornent memori ſua nomina laude.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

42 Sic tua poſt mortem cura condatur imago,
Sic te ſubſcribi ſtatuis,& nomina magnis
Sacrari titulis,vt ſint monumenta tuarum
Virtutum potius quàm corporis iſta relicta.
43 Hoc fac totus agas,vt téque,tuíſque pericli
Securis,tutis habitentur ſedibus vrbes,
Firmáque permaneant ſublato regna timore.
Quòd ſi re fueris compulſus adire periclum,
Sit potior ratio,pulchræ ſuccumbere morti,
Turpia quàm longæ producere tempora vitæ.
44 Omnibus in factis regni memor eſto,& honore
Te metire tuo:nihil hoc admiſeris vnquam
Indignum,nec ei maculas aſperſeris vllas.
45 Ne commiſeris,hæc quoniam natura peribit,
Vt totus pereas:quin cùm ſis corpore factus
Mortalis,mente immortalis,ſit labor vnus,
AEternis animi monumentis viuere poſſe.
46 Sit ſermo,meditare,tuus de rebus honeſtis:
Vt tandem aſſueto mens reſpondentia dictis
Sentiat,& totus rectis inſiſtere poſsis.
Optima quæ ratio ſtatuit conſulta videri,
Hæc opere exequere,hæc factis oſtende probatis.
47 Quos admiraris,quorum ſectaris honores,
Hos tua,contendes,imitetur vt æmula vita.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

48 Natis ipſe tuis quæ ſuaſeris eſſe tenenda,
His inſiſte, eadémque tibi ſeruanda putato.
Vtere prædictis: aut ſi quid rectius iſtis
Imperio noſti, vigilanti mente require.
49 Eſſe puta demum ſapientes, non ſtudio qui
Magno de paruis poſsint contendere rebus:
Sed qui legerunt res quarum maximus vſus,
Maxima vis fuerit, déque his dixere diſertè:
Nec, qui ſpes magnas iactant, & cuncta ſecunda
Promittunt aliis: aſt ipſos vrget egeſtas
Plurima, nec curtis poſſunt conſiſtere rebus:
Sed qui cuncta quidem mediocria, cuncta modeſta
De ſe déque ſuis moderata mente loquentes,
Res agere, & vitæ tractare negotia poſsint,
V'tque ferunt hominum, ſeſe componere, mores.
Nec vicibus quas fert varias mutatio rerum
Pectora turbantur, ſed docti temporis vſu,
Proſpera quæ indulgens Fortuna afflarit, itémque
Humani caſus fuerint quicunque, ferendo
Mentibus excipiunt æquis, & pectore forti.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 407 [48,-51 4°]